



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.15. S. Willehadii initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

tur, quamvis infirmo corpore & fractis se-
 nio viribus esset. Ad Monasterium deinde
 reversus comitante Regis Medico, qui lan-
 guorem pelleret, sed cum potionem ab
 eo præparatam sumpisset, eo usque ægri-
 tudo invaluit, ut statim moriendum sibi
 esse sentiret. Ergo campanas omnes
 pulsari, & totam Congregationem con-
 vocari jubet, rogans, ut cuncti pro se
 orarent; moxque singulos exhortatus,
 ut in Disciplina perseverarent, animam
 Deo reddidit anno 779. decima septima
 Decembris, & Successorem habuit Bau-
 gulfum. Ejusdem Monasterii Abbas
 quartus Eigilius S. Sturmii vitam scripsit.

Sæcul. VIII.
 A. C. 779.

Ann. Fuld.

§. XV.

S. Willehadii initia.

Sanctus Willehadius alter Saxonum
 Apostolus, Presbyter gente Anglus, in
 Nordhumbria natus, cum eum vehemens
 desiderium subiisset ad convertendos Fri-
 siones & Saxones operam suam conferen-
 di, impetrata Regis sui, cui nomen Al-
 cretus, & Episcoporum licentia in Fri-
 siam trajecit circa annum 770. & in ipso
 loco, in quo S. Bonifacius Martyrii coro-
 nam consecutus fuerat, substitit. Ibi a
 novellis Christianis humane exceptus,
 diu cum ipsis versatus est, liberos viro-
 rum nobilium erudiens. Multos quo-
 que in errorem denuo lapsos ad Fidem

vit. tom. 4.
 Act. Ben.
 p. 404.

Sup. lib.
 XLIII.
 §. 20.

Sæcul. VIII. Catholicam reduxit. Inde superato Lo-
A. C. 779. ueca anne, lingua illius populi *Lauvers*,
 in illam Regionem progressus est Fidem
 Frisonibus prædicaturus. Quibusdam
 ei necem meditantibus, tanquam viro
 impio, qui Deos lacefferet, alii, quibus
 sanior mens, dicebant: *Virum hunc nul-
 lius scelevis reum tenemus, & nescimus, an
 non Religio, quam nobis affert, a Deo sit.
 Mittamus sortes, ut cognoscamus, an mor-
 te dignus sit, vel eum saluum dimittere
 oporteat.* Sortes volente Deo ita ceci-
 derunt, ut favere Viro Sancto crederen-
 tur. Tum Barbari, postquam delibera-
 sent, incolumem dimiserunt.

Inde Drentam delatus multos Paga-
 norum convertit & baptizavit. Cum
 Fidelium numerus augetur, quidam ex
 ejus Discipulis cœperunt Tempa dirue-
 re; unde, Infidelibus ad iram concitatis,
 exitium prope sibi accersiverunt, quippe
 barbari Willehadium verberibus imma-
 niter affecerunt, moxque ex eis aliquis
 Viro Sancto caput amputasset, nisi pro-
 digio fuisset prohibitus, nam gladius illa-
 so capite solummodo lorum, ex quo Reli-
 quiarum theca collo ipsius appensa pen-
 debat, dissecuit. Barbari tanto miracu-
 lo attoniti Willehadium cum sociis sal-
 vum abire permittunt.

Cum Sanctitatis ejus fama ad Regem
 Carolum pervenisset, honorifice exce-
 ptum

ptum suo alloquio dignatus est, tum Sæcul. VIII.
A. C. 779.
cognita viri Doctrina & pietate in Saxo-
niam mittit ad locum qui Vigmodus di-
cebatur in altera Visurgis ora, ubi Epis-
copatus Verdenfis & Bremensis sunt. *
Jussit etiam Rex, ut suo præsidio tutus
Ecclesias fundaret, & populos in fide
erudiret. Cui labori S. Presbyter insu-
davit adeo feliciter, ut anno secundo
nempe septingentesimo octogesimo Sa-
xones & Frisones illius Regionis ad unum
omnes Christianos se futuros promitte-
rent.

* fuerunt.

§. XVI.

*Leo decedit. Constantinus & Irenes
Imperatores.*

Constantinopoli anno Leonis Impera-
toris secundo, Jesu Christi septingen-
tesimo septuagesimo septimo Telerus seu
Telericus Princeps Bulgarus ad Roma-
nos profugus, Christiana Religione susce-
pta, e sacro fonte levatus est ab Impera-
tore, qui eum honore & amore profes-
tus Patricium creavit, eidemque Ire-
nem sibi sanguinis affinitate conjunctam
nuptui dedit. Anno sequente Leo con-
sensit, ut Jacobitæ Hæretici captivi ex
Syria abstracti sibi sedes deligerent in
Thracia, videlicet inter illos, quibus
Constantinus Parens suus ante annos
triginta eandem licentiam dederat. An-

*Theoph.**p. 380.**Sup. lib.**XLII. §.**42. p. 382.*